

117 Si hæres fuit negligens, & ita in culpa ut infans, aut minor, cui hæres succedere præterit, non adiverit hæreditatem, puta non curans, quod Infans, vel minor adeat hæreditatem, juxta dispositionem *tex. in l. si Infanti C. de jur. deliber.*; tunc in talem hæredem, neque trasmitit hæreditatem, neque Jus petendi restitutionem in integrum, *Bartol. in d. l. si Infanti nu. 11. Vers.*, & *ideo si iste hæres. Saccin. in l. qui duo num. 21. ff. de reb. dub. Arctin. conf. 160. nu. 8. Vers. præterea*, & post prædictos *Spada conf. 343. num. 7. lib. 3.*, Ubi quod Pater qui neglexit adire hæreditatem pro filio infante, non habet Jus restitutionis in integrum in præjudicium fororis præmortui infantis; & ita concludit in fine consilii, licet *num. 8.* ponat, quod Pater detinendo dotes Uxoris præmortuæ censeatur adivisse hæreditatem nomine sui filii infantis, quia ad exclusionem culpæ, & negligentia per omnes conjecturas facile præsumitur, adivisse pro filio, sicut per omnem actum pro se adivisse præsumeretur.

118 Ponamus, quod Testator imponat onus hæredi, vel legatario exigendi à debitore summam pecuniæ, eamque exactam investiendi in fundum fructiferum, ex cujus redditibus celebrarentur tot Missæ per patres Sancti Francisci, & hæres, aut legatarius negligat pecuniam exigere, ac interim debitor fiat non solvendo, eo casu hæres, aut legatarius negligens tenetur ad damna inde sequentia, arg. à Tutore ad legatarium, *ex l. si Tutor ff. de administr. tutelle l. nomina C. Arbitrium Tutelle.*

119 Limitatur tamen primò, si debitor esset difficilis exactionis, ut sunt Magnates, cum quibus si hæres, aut legatarius fecisset diligentias saltem extrajudiciales, petendo creditum Urbano modo, cum fortè aliter esset difficile satis consequi, & interim aut Magnates recederent, aut fierent non solvendo, tunc negligentia non imputatur, quia non est culposa, ad allegata *per Pasqualig. de Sacrificio novæ legis quest. 1066. n. 2.*, & *3.*, ubi *num. 5.*, sublimitat quando esset suspitio de tali recessu, decoctione, aut alio periculo.

120 Limitatur secundò, ut in eo casu hæres, aut legatarius non teneatur ad damna, nisi ex culpa lata, eo quia non tenetur diligentius se agere, quam Pater familias di-

ligens ageret in rebus propriis, ut ex eodem argumento à tutore colligitur *in l. nomina C. Arbitrium Tutelle*, & latius probat *Gratian. discept. for. c. 125. à num. 1.*, *seqq.* ubi quod est speciale in exactione nominum, quod mitius agatur; ubi *num. 2. in fine*, & *num. 3.*, quod in iis, quæ gratuitò præstantur, non præstat culpam levem, ubi *num. 5.*, & *10.*, quod in hoc casu culpa est probanda per allegantem.

121 Limita tertio, si agendo judicialiter, expensæ superexcederent creditum exigendum, quia tunc inutiliter hæres, aut legatarius agerent, ad quod non tenentur, ut post *Bellacomb. notat Barbosa in dicta l. nomina num. 3.*, ubi *num. 5.*, ad effectum condemnandi hæredem, vel legatarium, si cuti tutorem de negligentia, oportet probare, quod de tempore susceptæ hæreditatis, vel legati debitores fuissent idonei, & facile potuisset exigere debitum, *Gratian. discept. for. c. 125. num. 12.*

122 Limita quarto, in casu quo debitor casu fortuito subito, & inopinato fieret non solvendo, quia iste casus non potest hæredi, vel legatario imputari, ut *per tex. in l. si sine S. Modestinus, il. ff. de administrat. tutor. Gutierrez. de tutel. p. 3. c. 1. num. 95.*

123 Ex Statuto Ferrariæ Masculi ab intestato excludunt fœminas ab hæreditate, ipsique succedunt cum onere dotandi fœminas lib. 2. rubr. 139. rubr. autem 140. decernit, quod hujusmodi hæredes teneantur alere fœminas, easque dotare usque ad tempora decem, & octo annorum inclusivè suæ ætatis, ceterum si prædicti hæredes sint negligentes in dote hujusmodi danda, ac fœminis maritalibus, illæque peccarent in corpus suum, excusarentur, nec dotem amitterent, etiam si nuberent indigno, *Fontanell. de pactis nuptial. lib. 2. Claus. 5. glos. 1. n. 82.*, & *seqq.*, *Pigant. ad dictam rubr. 40. nu. 16.*, immò ipsi hæredes in culpa sunt, quæ tantò gravior, quo morosi, ac negligentes, & toties in culpa censentur, quoties fœmina ad peccatum laberetur, idem *Pigant. num. 19.*, ubi *num. 20.*, monet agnatos ut caveant ne negligentes sint in maritalibus Virginibus, quia eis hoc incumbit onus ex Justitia; immò negligentibus hæredibus statutum imponit pœnam, ut in bonis defuncti fœminæ dotem habeant duplicatam, ac hæredes condemnat ad omnes litis expensas,

fas, quas forsan fœminæ facerent pro duplicata dote consequenda, & concedit fœminæ electionem etiam ad bona alienata, & apud tertium possessorem existentia.

124 Limita tamen ex dicta rubrica in hæredibus minoribus viginti annorum, qui possunt quidem compelli ad dotem congruam dandam, eas tamen pœnas evitant, vel etiam excusarentur hæredes majores viginti annis, si non fuerint negligentes, immò si adhibuerint debitam diligentiam ad inquirendum puellis Maritum, quod si non invenerint, per eos non stetit: tenentur tamen ipsi hæredes probare se sufficientem adhibuisse diligentiam, quàm diligentiam, an sufficiens fuerit; arbitrio Judicis prudentia judicabit. *Pigantus supra*, in hoc casu negligentia præsumitur.

125 Altera per idem Statutum imponitur hæredibus negligentibus pœna, quod scilicet si fœmina post dictam ætatem decem, & octo annorum decedat, hæredes autem fuerint negligentes in ea maritalibus, quod eo casu mulier dotem duplicatam trasmitit ad suos hæredes, vel ex testamento, vel ab intestato, etiam si nulla præcesserit interpellatio, quia non est Virginalis pudoris Maritum querere, *Pigant. dicta rubr. 140. num. 20. Vers. Unde petitio*, & *num. 23.*, ubi *num. 21.* transit ad ostendendum, quomodo tunc diligentia, aut negligentia probari possit, & *in Vers.*, & *sane*, refert *Laderch. dicentem consilio 126. nu. 2.*, hoc Statutum quoad ad pœnam non esse usu receptum, nisi magnus argueretur dolus, licet ipse *Vers. sequenti* dicat audivisse per duos conformes judicatum, duplicatam dotem deberi, ubi *num. 22.* refert hanc duplicatam dotem deberi tantum, si petatur ante contractum matrimonium, vel saltem statim sequito Matrimonio, secus si postea, quam limitationem *Laderchii*, ipse *Pigantius* non videtur approbare rationibus apud eum videndis.

126 Contigit, & alius casus in negligente hærede, dum scilicet promisit dotem in summa determinata pecuniæ, resservata sibi facultate eam dandi, vel immobilibus, vel in stabilibus, vel in pecunia ad suum beneplacitum, an si negligat adimplere, & diutius differat, amittat beneplacitum electionis; & quidem cum pecunia sit in obligatione, & spes in facultate solvendi, *l. si*

quis stipulatus fuerit dotem ff. de solut., si fuerat taxatum tempus infra quod deberet hæres eligere, & non elegerit, constituitur in mora, & tunc amittit facultatem solvendi in specie, fitque pecuniæ debitor, ita post *Rotam coram Burato decis. 287.*, respondit *Pigant. ad dictam Rubr. 140. num. 32.*

127 Si verò non fuerat Statutum tempus, sed sine temporis præfinitione dictum, ad debitorem spectare electionem ad beneplacitum tunc beneplacitum non potest respicere tempus, alioquin promissio dotis fuisset elusoria, *l. si quis stipulatus fuerit decem in melle ff. de solut.*, neque ex lapsu temporis potest dici constitutus in mora, & factus negligens, ex quo tempus non est taxatum, & dies non est certa, nec infacultativis currit præscriptio, *Seraphim. decis. 716. num. 10.*, *decis. 813. num. 5.*, *Leoncil. decis. 46. num. 19.*, *Gratian. cap. 527. nu. 8.*, Unde ad constituendum debitorem in mora requiritur aliqua interpellatio, ut probavimus in prima parte art. an, & quando incurratur negligentia, ubi non est appositus dies certa, ac propterea in *dicta l. si quis stipulatus fuerit decem in melle* dicitur, quod per petitionem, agendo ex stipulatu, debitor constituitur in mora, & fit negligens, & ex sua negligentia amittit facultatem electionis specierum, & sic facultatem solvendi unum pro alio durare usque ad litis contestationem, dixit *Bald. in l. si quando S. heres ff. de leg. 1.*, ubi tamen procedit cum distincto, vel hæc facultas est à lege, & tunc cessat per litem contestatam, vel est ab homine, & tunc non cessat per *tex. in litem veniunt S. item recte ff. de petit. hered.*

128 Atamen quando hæc facultas solvendi, vel pecuniæ, vel spes est ab homine sine temporis præfinitione, tunc licet attentata *l. in omnibus 14. ff. de reg. Jur.*; dicendum esset deberi statim, tamen quod sit arbitrium Judicis tempus taxare juxta debiti qualitatem, & quantitatem, & personam debentis, observarunt *Menochius de Arbitri. Jud. c. 27.*, *Antonell. de temp. leg. lib. 9. c. 4. n. 1.*, & *seqq.*, & *lib. 2. c. 48. num. 9.*, *Cagnol. in dicta l. in omnibus num. 1.*, Qui observat, quod licet obligatio sit ad statim, debet tamen intelligi cum aliquo temperamento, & temporis spatio, sicuti Juriscons. dicit in *l. quod dicimus ff. de solut.*, quod creditor recepturus pecuniam sibi debitam, non debet venire itatim cum sacco paratus, ex quibus

bus colligitur dandum esse aliquod temporis spatium, ac propterea requiri aliquam interpellationem, cum aliquo moderato temporis cursu, ut diximus in prima parte de incurrenda negligentia, quando non est appositus dies certa.

129 Idem prorsus est dicendum in casu quo quis promittit contrahere matrimonium cum Gema nullo præfixo termino, non enim tenetur statim implere, nec fit statim negligens, sed arbitrio prudentis Viri, vel ut dicunt alii, cum fuerit interpellatus, arg. l. debitorum presentes. C. de pignor., Abbas in c. fin. num. 19. de præscript., Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 28. num. 2., ubi limitat in foro conscientiae, quando creditor petere non audeat ob timorem reverentialem, vel ex alia causa, & contingit non raro in artifice, qui non audet petere à viro nobiliore, & potentiore, quod sibi debetur non tantum timore reverentialem, quam verberum, aut iniuriarum; tunc debitor ponitur in mora; etiam creditore non petente, dum noverit se debere, & possit solvere, sed difert, licet cognoscat artificem desiderare, quod sibi debetur, tunc talis dilatio in conscientia culpabilis est, & debitor tenetur ad damna, & interesse, ac praxis docuit, quod non raro artifices ex hac causa, decoquunt, aut damna gravia patiuntur, quod utinam adverterent nobiliores, & eorum confessarii.

V O T U M.

DE negligentia hæredum habui in facto, quod Testator disposuerit omnia bona sua restituenda loco pio finita linea, & inter cætera reliquit multa credita in libro Mercaturæ descripta, evenit autem casus restitutionis post annos 60., & pro loco pio producto Testamento, & Inventario bonorum, institum fuit pro consignatione, & difficultas fuit, an nomina debitorum præsumerentur exacta, & cum exactio sit quid facti videbatur stare regula, non præsumi, ad tradita per Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 14., ac propterea non teneri de eis rationem reddere, nec summam restituere, sed sufficere, si nunc consignet, & cedat nomina debitorum arg. l. si sic. §. fin. ff. de leg. 1.

131 Opponebatur præsumendum fuisse exacta, quia negligentia in hærede non præsumitur, tum quia de ejus comodo agebatur, dum haberet usum fructum eorum, ad tradita per Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 77. num. 3., Mascard. de probat. concl. 1903. num. 2. 3., unde hæredi onerato incumbere locus probandi, fecisse debitam diligentiam pro exigendo, juxta ea quæ describit Scaccia de comere., & cambiis §. 2. glos. 5. n. 254., & seqq., usque ad excussionem factam, etiam personalem, ut ibi num. 260., alioquin si nomina debitorum facta sint deteriora, & debitorum facti sint non solvendo, vel amplius non reperiantur; periculo hæredis gravati imputanda, Tufob. Vers. Negligentia concl. 31. nu. 4., quia negligentia tanto temporis spatio protracta tamquam culpabilis damno etiam cedere debet, pro ut negligentia, quando nimia est, dixit Fontanella decis. 125. num. 17. 18., & diximus distinguendo inter negligentiam notabilem, & longiorem, ac brevem, & levem, tam in prima parte de Negligentia in communi; quam in secunda de Negligentia Creditorum, & diuturna negligentia nimis voluntaria, & culpabilis est, Glos. in c. fin. in Vers. aut negligentia. §. 3., Scaccia de comere., & cambiis §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 19. num. 128., tum ex reg., quod mora sua unicuique nocet, ad tradita per Cognol. in l. 134. §. Unicuique ff. de reg. Jur., ac propterea in prima parte diximus, negligentiam nocere negligentem, non aliis, Barbosa de axiomat. Juris, axiom. 159. num. 2., & est tex. satis bonus in l. rem hæreditariam in fine ibi (Cum cohæredis negligentia damno non debet esse alteri) ff. de evict., & l. ne electio §. si absente, ibi, ne alterius dolus, aut desidia aliis noceat ff. de noxal. act., ubi in glos. in Vers. noceat, & l. Mandatum distrabendorum, ibi, ob errorem, aut imperitiam hæredum affici damno ff. mandati, & in nostris terminis, Fusar. de substit. fideicom. q. 625. num. 4., ibi, secus esset, si ob culpam nullius facta essent deteriora, ut quia cum potuerit exigere, non exigit, nam tunc, nec cedendo actiones liberarentur, & quest. 514. 516. 517., Peregrin. de fideicom. art. 10. num. 45. Vers. si culpa hæredi imputari possit, periculum ejus erit, nec actiones cedendo liberabitur, Riminald. Senior. lib. 1. consil. 122. late per totum. Palma consil. 49. num. 28. Mantica de coniect. Ultim. Vol. lib. 7. tit. 6. n. 3., Gratian. discept. for. cap. 832. num. 25., Rota decis. 190. num. 1. p. 1. recent.

132 Et in præjudicium hæredis gravati, qui non exigisset, stante tanti temporis cursu, nempe annorum 60., ea nomina debitorum præsumi exacta, ad tradita per Mascard. concl. 1318. num. 27., Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 135. num. 19., Surd. decis. 105. num. 49., Merlin. decis. 461. nu. 15.

133 Prædicta tamen videbantur non sic inoffenso pede procedere, ex quo debuisset constare, quod nomina debitorum fuissent exigibilia de tempore mortis testatoris fideicomitentis, ad allegata per Riminald. Senior. lib. 1. consil. 121. num. 16., Rota coram Bichio impressa post tract. Olea. de cession. in Novariensis pecuniaria decis. 31., sub num. 14., ubi quod ut dicatur nomen debitoris factum inexigibile, probandum esset, quod antea tale non erat, Surd. consil. 228. sub num. 16., Gratian. discept. for. c. 527. sub num. 36., ubi quod nemo præsumitur idoneus, nisi probetur, & faciunt dicta per Olear. de cession. ti. 5. q. 12. num. 15., ubi quod, ut Maritus teneatur de neglectis in exactione dotis, seu nominis debitoris in dotem dati, oportet, quod tempore promissionis idoneum esset, & exigibile, alias ad restitutionem non teneretur.

Maximè cum praxis doceat, quod in libris Mercatorum, ut in presenti casu, soleant inveniri descripta multa credita, que nec ipsi mercatores potuerunt exigere, pluribus impedimentis obsistentibus, ut morte fuga, absentia, paupertate, decoctione debitorum &c.

134 Videbatur tamen cum distinctione procedendum, scilicet, vel hæres gravatus ad se exonerandum in redditione rationis excipit de paupertate debitorum, & de inexigibilitate nominum, & tunc excipiendo fit actor, probare debet suam exceptionem, puta allegatam paupertatem, in qua se fundat, Rotan. consil. 92. n. 23. lib. 2., Beu. consil. 105. num. 28., Mascard. de prob. concl. 1154. num. 5., Surd. de alim. tit. 7. quest. 8. num. 14., Palma consil. 49. sub num. 34. Vers. & cum in hujusmodi casibus, Coccin. decis. 2125. num. 9. 10., Rembold. decis. 455. Vers. nec obstat.; vel non proceditur per viam exceptionis, sed solum dubitat Judex in administranda Justitia an hæres sit gravandus, ex quo non constat de exigibilitate nominum, & tunc substituto incumbere probationem exigibilitatis, ex quo se fundat in ea dum intat, ea hæredis gravati periculo fuisse

facta deteriora.

135 Præter hæredes, & legatarios, potest negligentia cadere in Commissarios, & executores ultimarum voluntatum, vel sint testamentarii, vel legitimi, vel dativi, & quidem primo negligentia potest consistere in non acceptando munus sibi à testatore, vel à lege, vel à Judice Impositum, de quo solent querere doctores, an electus Commissarius, seu executor, qui sumuntur pro eodem in presenti casu, juxta tex. in c. tua, & c. Joannes de Testam., possit cogi, & teneatur acceptare munus sibi impositum, nam postquam executores acceptaverint, quod teneantur implere, & negligentes possint cogi per Episcopum; certa Juris est dispositio c. Joannes de testam., Spin. Specul. testam. glos. 28. sub num. 17. Vers. sed habito pro constanti.

Prima ergo regula est, quod in foro Judiciario, seu externo nemo potest cogi suscipere onus executoris testamentarii, & dativi, & consequenter tales electi ad hoc officium non acceptando, non possunt incurere culpam negligentiam, quia, uti dixi in prima parte, negligens dicitur, qui omitit facere id, quod de jure tenetur facere, dum ergo electi non tenentur acceptare hoc munus, non acceptando non possunt dici negligentes; quod autem non possint cogi hoc munus acceptare, patet, quia munus voluntarium est, & mandatum suscipere nemo cogitur glos. in c. Joannes Vers. Mandatum de testam., & latius examinat Speculator tom. 2. tit. de Instrumentorum editione §. 12. num. 55. arg. pari de Arbitris procuratoribus, negotiorum gestoribus, Barbosa in c. Joannes num. 3. de testam., quia hoc munus ex mera voluntate procedit; limitatur verò hæc reg. si executori sit aliquid à Testatore legatum, & acceptaverit legatum, tunc tenetur, & onus suscipere, ex reg. qui sentit commodum debet sentire, & incommodum, alias perdet, quod ex testamento suscipit, seu erat percepturus, l. 1. in fine ff. Ubi pupillus deduc. deb., quia legatum videtur merces laboris, & consequenter recufatur labore, non debetur merces, vel recepta mercede cogitur ex quasi contractu implere, Diana p. 8. tract. 5. resol. 27. Vers.; & tandem nota, & resol. 60., & dixerat p. 4. tract. 4. resol. 62.

136 Secunda regula est, quod Episcopus, qui potest